

PRÆDICABILIA

SCOTI.

DE SPECIE.

QUÆSTIO I.

An hac diffinitio: species est qua prædicatur de pluribus, &c. sit conuenienter data?

Amplius autē sic, quod species est, qua de pluribus differentiibus numero, in eo quod quid sit, prædicatur. Capite 3.



CIRCA capitulum de specie quaeritur: an hæc diffinitio speciei: scilicet, species est, qua prædicatur de pluribus numero differentiibus in eo quod quid: sit conuenienter data? Quod non videtur per Porphyrium, qui dicit: quod genus, & species, sunt duo correlatiua: & propter hoc necesse est in vtrorumque rationibus vtrisque vti: hic autem nihil ponitur, per quod habeatur correlatiuum, scilicet genus: ergo male diffinitur.

Item: hæc diffinitio conuenit generi, vt patet: quia sequitur: differentiibus specie: ergo differentiibus numero: vt supra.

Item: non sunt multe diffinitiones eiusdem, per Aristot. sexto Topicorum: sicut nec multe essentia: quia si sic, non esset diffinibile: cum ergo species conueniēter diffiniatur sic: qua ponitur sub assignato genere: non conuenienter diffinitur hac diffinitione.

Item: per hanc diffinitionem: poni

sub genere: habetur, quod per se est subijcibilis: ergo non est per se prædicabilis: igitur altera diffinitio falsa: quia opposita non insunt eidem per se.

Dicitur: quod relatiue opposita possunt inesse eidem, sed non respectu eiusdem: quia sic sunt opposita: sed prædicabile, respectu indiuiduorum, est subijcibile respectu generis.

Contra: si diffiniatur conuenienter per genus, quia ad ipsum refertur: ergo per se refertur ad genus: illud refertur etiam ad indiuidua, per qua diffinitur in hac secundam diffinitione: ergo idem bis dicitur relatiue: quod est contra Aristot. quinto Metaphysic.

Item: ad principale: per hanc diffinitionem non separatur species a diffinitione.

Item: species non est prædicatum per Aristot. primo Topicor. ergo male diffinitur per prædicari.

Ad oppositum est Porphyrius.

Consimiliter posset hic argui pro, & contra: & obijci, sicut supra, vbi quaeritum est de diffinitione generis.

Dicendum: quod diffinitio eius conueniens est: sicut supra dictum est de diffinitione generis.

Ad

Ad primum argumentum dicitur: quod species dicitur correlatiue ad genus: & ideo necesse est aliquam diffinitionem eius dari, in qua ponatur genus: & est ista: species est, qua ponitur sub assignato genere. Aliam autem comparationem habet species ad indiuidua, non secundum quam est genus: quia sic negat Porphyrius extrema habere duas habitudines: sed secundum quam est species: & ideo necesse est ipsam habere aliam diffinitionem in comparatione ad indiuidua.

Alias 14. Ad secundum dictum est supra Quæstione 17. qua est octaua de genere.

Ad tertium dicitur: quod vnus absoluti, cuius est diffinitio indicans eius esse in se, non sunt multe diffinitiones: species autem per se refertur ad duo.

Contra: saltem non habebit tunc, nisi duas diffinitiones: quia sicut tantum habet vnam in comparatione ad indiuiduum: sic tantum vnam in comparatione ad genus: dat tamen Porphyrius duas in comparatione ad genus: dicit enim: hæc quidem assignatio, scilicet prædicari de pluribus, &c. speciei specialissima est, qua solum species est: alia vero erunt specierum non specialissimarum: ergo ad minus sunt duæ alia præter istam.

Hoc conceditur: & dicitur: quod species potest habere comparationem duplicem ad genus: vnam: vt ordinatur sub ipso: aliam vero: vt genus enuntiat de specie in propositione. Primo modo, datur hæc diffinitio: species est, qua sub assignato ponitur genere: secundo modo hæc: species est, de qua genus, & in eo quod quid est, prædicatur.

Contra: liber Prædicamentorum immediatus ordinatur ad librum Perihermeneias, quam iste: sed in Prædicamentis non determinatur de incomplexis, in quantum vnus enuntiat de alio: quia tunc in libro Perihermeneias superflueret determinare de nomine, & verbo, qua significant in complexa sub illis rationibus: ergo multo minus diffinitur hic species: vt de ea enuntiat genus.

Hoc potest concedi, & dici: quod tantum ponit vnam diffinitionem in comparatione ad genus: & tunc hæc ra-

tio, scilicet, qua ponitur sub genere, ex ponitur persequens: & pro, scilicet, de qua genus: &c. Quod autem dicitur: alia erunt non specialissimarum: id est, alia notificationes, non diffinitiones: quia secundum quandam diuersitatem tantum secundum quid notificant specie: consimilis enim diuersitas poterit inueniri comparando specie ad indiuidua, secundum quam comparationem tantum ponitur vna diffinitio.

Ad quartum dictum est supra: ad argumentum contra hoc, potest dici: quod species, non tantum, secundum diuersa sibi accidentia refertur ad genus, & indiuidua: quia tunc per neutrum diffinitur: sicut nec homo, licet sibi accidat dupliciter: sed essentialiter, & per se comparatur ad vtrumque. Et quod dicitur: idem non refertur bis: intellexit Aristoteles: quod accidens non refertur ad subiectum, & terminum: sicut innuit in littera ibi: non est autem intellectus ad intelligentem, & intelligibile: & tunc non est contra prædicta.

Vel oportet dicere: quod idem non refertur primo ad diuersa: per se tamen potest: quia primo ad vnum per suam rationem: per se vero ad aliud, secundum rationem sui generis. Relatiuum enim, secundum genus, est relatiuum per se: quia includit in sua essentia illud, per quod refertur. Impossibile est enim absolutum in sua essentia essentialiter includere relatiuum: sic species secundum suam propriam rationem dicitur ad genus: secundum autem rationem sui generis, scilicet, vniuersalis, dicitur relatiue ad illa, de quibus prædicatur: quia dici, de, conuenit sibi, in quantum est vniuersale: v. g. dupliciter secundum se refertur ad dimidium: sed secundum suum genus ad submultiplex: non est tamen omnino simile: quia ibi correlatiuum generis continet correlatiuum speciei: hic non. Ideo prima diffinitio est speciei propria secundum se: quia datur per eius primum correlatiuum: secunda datur per posterius: quia magis est ad propositum: est enim propria speciei: in quantum est vniuersale.

Ad quintum, potest concedi: quod diffinitio non est distinctum vniuersale a specie, secundum quod hic de vniuersalibus agitur.

M 5

Vel

Vel aliter: quod non prædicatur in quid, sed in quid & in quale: quia non habet simpliciter unum modum prædicandi, sed duos: sicut genus, & differentia, ex quibus est.

Al. 14. quæ est 8. de genere. Ad textum dictum est; quæst. 17. in solutione primi argumenti.

Summa textus.

Explicit iam, & ad longum Questionibus ad capitulum generis prædicantibus, incipit Doctor disputare eas, quæ ad capitulum speciei, quæ est secundum prædicabile, spectare possunt: & quamvis omnes, quæ de genere disputata sunt, de specie disputari possent: ut ait Doctor in littera; nihilominus illas præmittens, tanquam facillime ad propositum applicabiles; duas tantum discutere, circa hoc capitulum, intendit: quarum prima est: an hæc definitio, quæ de specie Porphyrius tradidit, videlicet, species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid: sit bona, & sufficiens, partem negatiuam sex rationibus defendere conatur: sed illis non obstantibus, partem affirmatiuam eligit statuens pro conclusione: prædictam definitionem esse bonam, & exactam: probat eam autoritate Porphyrii, & omnibus argumentis, quibus supra bonitatem definitionis generis probauit: Tandem soluit argumenta: in quorum solutione plura scitu dignissima inuoluit, quæ explanatione nostra indigent, in qua tradenda, nostris in Articulis hæc ordinem seruabimus: primo nonnullos de specie, quatenus est generis subijcibile mouebimus: secundo illos, qui ad ipsam, ut prædicabile est, pertinent, agitabimus: ac tandem aliquos de suo subijcibili, videlicet, indiuiduo, trademus: quia de his tribus tractandis in hac Quæstione materiam nobis exhibet Doctor.

Conclusio.

ARTIC. I.

An species sit generis subijcibile?

1. Arg.

Q UOD non videtur: subijcibile generis est illius correlatiuum: sed species non est generis correlatiuum: ergo non est illius subijcibile: probatur minor: omnia relatiua, vel sunt disquiparantia, vel æquiparantia: genus, & species, non sunt relatiua æquiparantia, ut patet nec disquiparantia: quia talia non sunt species eiusdem generis propinqui: ut patet discurrendo: genus autem, & species, sunt species specialissimæ ipsius vniuersalis: ut communiter ponitur: ergo, &c.

Secundū.

Secundo, omne per se relatiuum habet unum per se correlatiuum: sed genus habet pro se correlatiuum etiam indiuidua speciei: ergo non solum species, sed indiuidua, sunt generis subijcibile.

Pro intelligentia, notandum primo, quod hoc nomen, species, est æquiuocum plures significationes habens: ut videri potest in Thesaurio lingue Latine: Porphyrius autem tantum illas, quæ sunt ad suum intentum, assignat: sumitur igitur species pro forma, siue pulchritudine: unde sicut pulchritudo (Cicerone teste) est apta membrorum figura cum quadam coloris suavitate: sic species, de qua loquimur, ex apta generis cum differentia connexionem resultat: quæ sumitur, prime intentionaliter, pro quacumque natura ex genere, & differentia a parte rei composita: secunde intentionaliter sumitur pro secunda intentione in concreto: & hoc modo, ad huc dupliciter: vel in ordine ad genus, & dicitur subijcibile: vel in ordine ad indiuidua, & dicitur prædicabile: & de illa, ut subijcibile, quarimus in præsentia.

1. Not.

Secundo notandum: ex Porphyrio in hoc cap. tex. 5. quod sicut natura est in triplici differentia: suprema, intermedia, & infima: ita triplicem relationem rationis, quæ denominatur, fundare potest: prima fundat generalitatem supremam, quæ genus supremum denominatur: quod tex. 6. sic a Porphyrio diffinitur: quod genus cum sit, non est species, vel quod nullum aliud supra se habet: qualia sunt decem Prædicamenta: & in hoc genere vnus tantum respectus ad inferiora reperitur. Secunda, scilicet, inter media fundat duplicem relationem, alteram ad superius, quod supra se habent, & hæc dicuntur species intermedia, seu subalterna, ac subijcibilis: alteram ad inferiora, quæ in esse generis subalterni constituuntur: Vnde sic diffinitur: est, quod supra se aliud habet genus: & quod idem est genus, & species: suple respectu diuersorum: genus respectu inferiorum, & species respectu superiorum. Natura tandem infima, (seu Athoma Græce) idest in alias species indiuisibilis, duplicem etiam relationem fundat formaliter formalitate rationis distincta: alteram ad genus, cui tanquam suo superiori subijcitur; & hæc inesse subijcibilis constituitur: alteram autem, ad indiuidua, de quibus prædicatur: & hæc eam in esse superioris, & prædicabilis, constituit. & de specie subijcibilis in infima, quam subalterna, inquirimus, an sit generis subijcibile.

2. Not.

3. Not.

Tertio notandum: quod, ut supra quæst. 6. vniuers. art. 5. iam diximus de subijcibili in communi, species duplicem aptitudinem habet ad genus: primam, quæ est apta illi subijci, tanquam inferius, in quo sit: alteram vero, quæ sit apta, ut ipsum de illa, prædicatione dicente, hoc est hoc, prædicetur: hæc secunda est passio eius, prout subijcibilis est: prima autem est eius essentia, ratione cuius sic a Porphyrio diffinitur: species est, quæ sub assignato genere collocatur: idest, sub genere determinato, & proprio. Vel secundo: species est, quæ subijcitur generi, & de qua genus, hoc ipso, quod est, prædicatur: quæ duplex definitio, icet nonnullis duplex esse videtur: nihilominus secundum Doct. in solutione ad secundum, vnica tantum censenda est: ut secunda sit prioris explicatio, hoc modo: species est, quæ ponitur sub assignato genere, idest de qua

qua genus, in eo quod quid est, prædicatur: ita ut particula, &, non copulatiue, sed expositiue, pro id est, capitur: & ratio est: quia per vtramque, species respicit genus, tanquam terminum, & correlatiuum superius, sub quo ipsa ponitur: ergo tantum in ipsa erit vnica relatio, quæ ipsum respiciat.

Dices: species duplici aptitudine respicit genus: ut diximus: ergo secundum vtramque a Porphyrio diffinitur: per primam essentialiter: & per secundam descriptiue.

Respondeo: licet hoc concedat Valera lib. 1. distinct. 3. Arist. 3. quæst. 1. conclusionē 3. contra mentem Doctoris: negando consequentiam: nam mens Porphyrii est naturam speciei subijcibilis explicare: & cum hæc solum respiciat genus, ut superius: & genus, ut sic, sit vnium in multis positum, seu prædicabile, hoc est, comparabile multis per intellectum: hinc fit, ut species illud respiciat tanquam inferius, in quo ipsum genus est, & de quo est prædicabile: sumpto prædicabili radicaliter, & pro comparabili: ut supra in diffinitione vniuersalis sumptum: itaque sensus diffinitionis est: species est, quæ subijcitur generi: idest, est generis inferius, in quo genus est, & de quo, in quid, est prædicabile per actum simplicem comparatiuum intellectus. Et hoc est, quod vult Doctor §. potest concedi, & dici: non tamen negat speciem duplici relatione respicere genus, & posse secundum vtramque diffiniri: non tamen diffinitur de facto per geminam istam diffinitionem: ut sibi voluerunt illi, quos ipse impugnat.

Contra: Doctor impugnat solutionem illam ad secundum afferentem speciem habere duplicem comparisonem ad genus: vniam, ut ordinatur sub ipsa: aliam, ut genus enūciatur de specie in propositione: ergo, afferere hanc duplicem comparisonem in specie ad genus, vel est contra Doctorem: vel si non immerito impugnatur solutio, ac doctrina Valera, qui supra dist. 2. art. 4. quæst. 4. solutionem ipsam approbat, ac si esset Doctoris, & non ab eo impugnata, & reiecta.

Respondeo: negando consequentiam: nam aliud est speciem esse subijcibile generis: aliud esse illius subiectum in propositione: hoc secundum vult illa solutio: & ideo merito a Doctore impugnatur: nam consideratio speciei, in quantum subiectum, & generis, in quantum prædicatum: & in quantum vtrumque est pars enuntiationis, vel in ordine ad ipsam consideratur, non pertinet ad primam operationem intellectus, ad quam hic liber spectat: sed ad secundam operationem, cui expedit liber Perihermēnas: & hoc secundum impugnat Doctor: primum autem est, quod nos volumus: nam subijcibile, ut sic, est vnium merum in complexum, sine aliquo ordine actuali ad enuntiationem, bene tamen cum ordine aptitudinali: qui quidem aptitudinalis ordo ad propositionem optime per primam operationem comparatiuum intellectus resultat: & talis est propria passio in inferioribus, & superioribus, quæ mutuo se respiciunt: & hoc non impugnatur a Doctore in illa impugnatione.

Dicendum primo, natura, quæ fundat subijcibilitatem specificam, debet esse ex gradu generico, & differentiali, Metaphysice composita: hæc debet esse communis: & probatur primo: omnis natura, quæ est sub aliquo genere est diffinibilis: sed omnis natura diffinibilis constat ex genere, & differentia: ergo talis natura est Metaphysice composita.

1. Conclusio

Secundo, natura dicitur subijcibilis respectu generis, quod supra se habet: ergo necessario includit intrinsece genus: sed non potest illud intrinsece includere, cum sit quid potentiale, nisi etiam intrinsece includat aliquid, quod ipsum contrahat, ratione cuius in esse specifico constituitur: & tale est differentia: ergo natura subijcibilis pro fundamento, ex genere, & differentia constat.

2. Conclusio

Dicendum secundo, species, tam infima, quam subalterna, est generis subijcibile, eiu que correlatiuum: hæc est communis: & patet: nam superius, ut sic, dicitur ordinem ad inferius: sed genus est quid superius, & nullum potest habere immediatum inferius, nisi speciem: ergo species, quæcunque sit, est eius subijcibile: nam licet hoc nomen, species, sit æquiuocum speciei subijcibilis, & prædicabilis, species tamen subijcibilis, ut sic, est vnium cum speciei infimæ, & subalternæ: & vtraque est quoddam concretum intentionale relatiuum connotans pro fundamento naturam specificam in esse cognito, & pro formali subijcibilitatem, quæ in esse inferiorum constituitur: & ad genus tanquam ad terminum referuntur: quæ relatio est illis vnio, & communis, siue generice, siue specificè sumantur: ut sæpe de genere respectu suorum inferiorum, diximus.

Ad primū

Ad argumenta, ad primam dico: quod genus, & species, sunt relatiua rationis disquiparantia, & inter se species sunt intermedia, & subalterna, sub vno prædicamento rationis collocata: de quo in antepædicamento dicitur.

Ad secundū

Ad secundum, & ad minorem dico: quod licet indiuidua sint etiam generis correlatiua: non inde sequitur, speciem non esse eius subijcibile: sed pro maiori huius solutionis intelligentia sit Articulus sequens.

ARTIC. II.

An adequatus, & primus terminus generis, sit sola species subijcibilis?

PRIMA sententia est aliquorum assertentium speciem esse primum, & adequatum terminum, ac correlatiuum generis, in quantum genus est: nam licet genus respiciat indiuidua, non est per habitudinem generis, ut genus est: sed per aliam differentiam constituentem aliam speciem vniuersalis innominatam, quæ necessario addenda est quinque prædicabilibus. Quæ sententia potest esse Louanienfium in hoc loco affirmantium genus ad speciem, & ad indiuidua, duplici relatione referri: & probatur.

1. Sententia

Primo

1. Argum. Primo, genus, in quantum genus, prædicatur de pluribus differentibus specie: sed genus comparatur ad individua, non prædicatur de pluribus specie differentibus, sed numero tantum: ergo ut genus, non respicit talia individua.

2. Argum. Secundo, specie, & individua, respiciunt genus relationibus essentialiter diversis: ut statim videbimus: ergo, & genus respicit species, & individua, relationibus essentialiter diversis: patet consequentia: tum ex primo Topic. cap. 13. quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur & alterum. Tum etiam, quia relationes essentialiter distinctæ eundem terminum formali ter habere non possunt: cum à terminis suâ specificationem, & distinctionem sumant.

3. Argum. Tertio, relativa sunt simul natura, & cognitio: sed cognoscens genus tantum necessario cognoscit species, & non individua: ergo cum alia cognitione individua cognoscatur: necessario fatendum est dari in genere aliam relationem: minor patet: nam si nullum daretur individuum, adhuc genus, & species essent correlativa, & unita cognitione cognoscerentur.

4. Argum. Quarto, relativa dicuntur ad convertentia: ergo ubi fuerit distincta convertentia essentialiter, erit distincta relatio essentialiter: sed sic est in præsentia: nam species, & individua, sunt generis subijcibilia essentialiter distincta: ergo, & c.

2. Sentent. Secunda sententia est aliorum tenentium speciem non solum non esse adæquatam generis terminum: sed nec primum, & immediatum: sed talem esse quoddam commune speciei, & individuo, quod vocant subijcibile in quid incomplete. Probatur: species, & individuum, conveniunt vni in ratione subijcibilis generis: quia vtrique subijcitur in quid incomplete: ergo hoc subijcibile commune illis est primum, & adæquatum terminus generis. Patet consequentia: quando aliqua relatio terminatur ad plura, in quantum in vna ratione formali conveniunt, talis ratio communis est primum, & adæquatum terminus: ut patet in colore respectu potentie visive.

Argum. Tertia sententia est Doct. ut patet supra quæst. 5. de genere, estque communis apud Thomistas: pro qua notandum: maximum esse discrimen inter primum, seu immediatum terminum, & inter terminum adæquatam: nam licet aliquando non tamen semper, coincidunt. Primum igitur terminus, aut primum obiectum alicuius potentie est, quod immediate, & non alterius interuentu, terminat potentie relationem: adæquatum vero est illud, præter quod nihil est aliud, quod terminet talem habitudinem: quare aliquando idem est terminus primum, & adæquatus: ut patet in maiori, respectu minoris. & c. contra: quando vero distinguuntur: ut actus primo, & immediate, terminat habitudinem potentie: sed non adæquate: quia etiam obiectum illam terminat, licet mediante, scilicet, actu: unde actus, & obiectum, simul sunt terminus adæquatus potentie, sed non primum, & immediatus: quia non simul terminant immediate: quærimus ergo in præsentia: an sola species sit terminus subijcibilis generis immediatus, & adæquatus: an

3. Sentent. Doctoris.

Notandū.

solum primum, & immediatus, sed non adæquatus.

Dicendum primo, genus eadem relatione refertur ad species, & ad individua, tanquam ad subijcibilia sua. Hæc est communis cum Doct. ut supra, & in Prædicamentis, quæst. 5. de Relatione ad tertium, & probatur primo, genus prædicatur de specie eodem modo, quo prædicatur de individuis specie: & c. contra: scilicet in quid incomplete: ergo genus eadem relatione respicit illa.

Secundo, hæc sunt prædicationes essentialiter: Petrus est animal: Franciscus est animal: sed non sunt species de individuis: quia animal non dicit totam illorum essentiam: ergo est prædicatione generis de individuis: sed eodem modo prædicatur de homine: ergo, & c.

Dices: mediatio, vel immediatio, sufficit ad diversificandas relationes: ut patet in exemplo adducto, de potentia respectu actus, & obiecti: nam alia ratione respicit actum, & alia obiectum: prima enim est relatio cause ad effectum: secunda est relatio attingentia, seu unionis: ut docet Doctor quodlibet. 13. lit. M. igitur similiter in proposito: cum reperitur mediatio, & immediatio, inter genus, speciem, & individua.

Respondet: negando antecedentes, loquendo de mediatione: ut quod non vero de mediatione, ut quod: dupliciter enim aliquid inter duo mediare dicitur: vel ut quod: ut inter solem, & Petrum genitum, mediat Franciscus illius pater: & hæc mediatio variat relationes in istis: vel aliquid dicitur mediare, ut quod: sicut inter agens, & effectum, mediat ratio agendi: & hæc mediatio non multiplicat relationes. Cum igitur species mediet inter genus, & individua, ut quod: quia ipsa est quidditas individui: ideo non tollit, quod genus vtrumque, speciem, scilicet, & in individua, respiciat.

Nec exemplum de potentia virget: nam quævis habeat pro termino adæquato actum, & obiectum: non tamen vtrumque respicit eadem relatione: ut probat argumentum (quidquid vellent Conimbricenses, quæst. 2. art. 3. hoc exemplo videntes ad hanc conclusionem probandam) non enim omnis terminus adæquatus eadem relatione respicitur: sed tantum ubi est adæquatio includens, & inclusi, qualis est inter speciem, & individua, non tamen inter actum, & obiectum, ut actus dicitur productus à potentia, & obiectum ab ipsa perceptum: licet bene potentia, ut obiecti perceptiva, mediante actu, quo illud percipit, eadem relatione attingentia vtrumque respiciat: in quo sensu exemplum valet: sicut eo in notabili vnumur.

Dicendum secundo, terminus primum, & adæquatus, relationis generis non est subijcibile commune speciei, & individuis, prout vult secunda sententia: hæc est communis, & probatur: relatio subijcibilis fundatur in aliqua natura reali, prout cognoscitur apta subijci generi: sed talis natura communis non datur, respectu speciei, & suorum individuum: ergo. Maior patet: nam nunc loquimur de subijcibili generis, prout connotat gradum genericum realem: quia

1. Conclusio.

Obiectio.

Solutio.

2. Conclusio.

de subijcibilibus intencionalibus eadem erit ratio. Minor ostenditur: quia Petro, & homini, vbi subijciuntur animali, nihil reate datur commune, nisi ipsum animal: ergo.

Secundo, si inter animal, & hominem, mediat aliquod commune subijcibile: animal non erit genus infimum: consequens est falsum: ergo: probo sequentiam: nam omne commune ad speciem est eius genus: ergo illud commune ad hominem est genus infimum: ergo tale non est animal: quod est absurdum, saltim secundum communem modum dicendi.

Dices: non mediare aliquam naturam realem communem illis: sed quandam ratione accidentalem subijcibilis.

3. Conclusio.

Contra: genus infimum non prædicatur immediate de tali ratione: ergo nec primum, & immediate, illam respicit: cum id primum, & immediate, respicit animal, de quo primum, & immediate, prædicatur: aliter enim idem de Proprio, & differentia est dicendum.

Dicendum tertio, Primum, & immediatum subijcibile generis sunt species: adæquatam vero species, & individua: hæc est communis cum Doctore locis citatis: primam partem probat argumenta primæ sententiæ: & præterea probatur: genus per speciem diffinitur: ergo species est illius terminus immediatus: antecedens patet ex generis diffinitione: consequentia est Arist. 6. Topic. cap. 2. dicentis: peccare illum, qui non diffinit relativum per proprium, & immediatum correlativum.

Secunda pars etiam constat: nam terminus adæquatus est, præter quem, nihil aliud terminare potest: sed præter speciem, individua terminant relationem generis, quæ consistit in prædicari, in quid, incomplete: & ultra hæc, nihil aliud hanc relationem terminare potest: ergo species, & individua, sunt terminus adæquatus genericæ relationis: quæ immediate, & primo terminatur ad speciem, tanquam ad immediatum subijcibile, quod in diffinitionibus ipsius immediate, & primo generi subijcitur.

Ad primam sententiam.

Ad secundam.

Ad quartam.

Ad argumenta primæ sententiæ: ad primam respondetur: quod quando prædicatur de individuis specie mediat: non amittit aptitudinem ad prædicari de pluribus specie differentibus: quia eius essentia in tali aptitudine consistit: unde sicut quando de vna specie prædicatur, ut genus prædicatur: quia est aptum de alijs prædicari: sic quando prædicatur de individuis, prædicatur, ut genus: quia aptitudinem ad prædicari de speciebus non amittit.

Ad secundum, nego antecedens: ut statim in proprio Articulo videbimus.

Ad tertium, dico ad minorem: quod cognoscens genus tantum cognoscit species: ut terminum immediatum: non tamen, ut terminum adæquatam: nam sub hoc, etiam individua comprehenduntur.

Ad quartum, concedo totum enthymema: & nego minorem: in tantum est vnica convertentia adæquata: & terminus primum, licet immediate convertatur, non tam perfecte: sed in suo genere. Et concessio quod ipse solus convertatur:

adhuc minor est falsa: quia individua virtualiter in speciebus conuertuntur. Vel tandem dico: quod sicut relatio rationis potest habere plura fundamenta distincta subordinata, ex Doct. in 4. distinct. 1. quæst. 2. & distinct. 3. quæst. 1. ita determino dici potest: quare convertentia de hoc termino intelligitur.

Ad argumentum secundæ sententiæ dico: quod licet tale subijcibile detur commune per intellectum speciebus, & individuis: genus tamen non terminatur ad illud: sed ad ipsas species, & individua, ut plura sunt: quia hoc est illius natura.

Ad arg. 2. sententia.

ARTIC. III.

An species, in quantum subijcibilis, sit universalis?

Prima sententia est Cardinalis Toletus in hoc cap. quæst. 1. asserens, speciem, in quantum subijcibilem, esse universalem: non quidem universalem prædicabilem, sed universalem subijcibilem.

1. Sententia.

Probatur primo, nihil immediate generi subijcitur, quod non sit universale: huiusmodi est species in quantum subijcibilis: ergo, ut sic, est universalis. Maior probatur: natura, ut generi subijcitur, est abstracta, & universalis: sed, ut sic, subijcitur immediate generi: ergo.

2. Argum.

Secundo, natura, in quantum subijcibilis, est species: non singularis: ergo, universalis: cum non detur medium: probo maiorem: nam, ut sic, diffinitur: diffinitio autem est rei universalis: ergo, universalis: sed species, in quantum subijcibilis, est subijcibilis: ergo in quantum subijcibilis, est universalis: quia, ut sic, non est singularis.

Secundum.

Tertium.

Secunda sententia videtur esse Doctoris in solutione ad quartum, estque communis in viraque Schola: Pro qua notandum est, eorum super quartum Metaph. in expositione capi 1. primi quod hæc dictio, in quantum, & quæcunque alia reduplicativa, sumitur duplici, et reduplicative, & specificative: primo modo sumitur: quando illud, quod sequitur immediate reduplicacione, notatur esse causa formalis, & præcisæ, in hærentiæ prædicati ad subiectum; ut, g. triangulus, in quantum triangulus, habet tres angulos: ly triangulus, qui sequitur, ly in quantum, est formalis, & præcisæ ratio in hærentiæ prædicati ad subiectum: id est, vt, habere tres angulos; in se necessario triangulo: quia forma trianguli est præcisæ ratio, propter quam habere tres angulos sibi in se. Secundo modo sumitur: quando illud, quod sequitur reduplicacionem immediate, accipitur tantum secundum suam rationem formalem, sine præcisione causalitatis in hærentiæ prædicati ad subiectum: ut homo, in quantum homo, est albus: ly homo, qui sequitur ly in quantum, non est causa formalis in hærentiæ prædicati ad subiectum: alioquin omnis homo esset albus necessario: sed accipitur tantum secundum suam

2. Sententia Doctoris.

Notandū.

ratio.